DE BRONCHOCELE INAUGURALIS DISCEPTATIO QUAM IN C.R...

Giovanni Tommaso Bertoletti

DE
BRONCHOCELE
INAUGURALIS DISCEPTATIO

QUAM

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD MEDICINAE LAUREAM ASSEQUENDAM

PUBLICE DEFENDIT

JOANNES THOMAS BERTOLETTI

BERGOMENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

M. DCCC. XXX

Multimodos inter qui humanam vitam morbos insectantur bronchocele, aut tracheocele recensetur. Ut et aliis quamplurimis morbis haud aptum illi nomen datum fuit, quippe quia hoc verbum nihil aliud sibi vult quam internum, quae membranam vestit bronchiorum parietem a cartilaginum intervallis effugisse, quod minime exprimere optatur. Bronchocelis nomine autem ab auctoribus, quod Italis *Gozzo* est intelligitur, atque de hac affectione mihi nunc sermonem habere proposui. Innumerae quae quovis tempore in medicina surrexerunt mutationes, quae morborum cognitionem texerunt, progressusque retardarunt, denominationes perverterunt, sapientissimosque viros pro verbis decertare impulerunt. Diebus nostris vero quibus tanta lux facta est, ut cujusque intellectus captus sit, utilitas patet nomina mutandi, dummodo conditio-

nem affecti organi indicent, aut locum morbi commonstrent. Atque ad hoc aptissime jamdudum praedicatur *Tironcosim* morbum, de quo nunc loquitur, esse appellandum quo et aegrotans organon, et evidentius symptoma exprimuntur, aliisque arridet *Tiroiditidem* diceret, quo conditionem morbis pathologicam, et naturam, ipsis in animo est designare.

Sporadicus morbus, hic variis in regionibus offertur; Endemicus autem videtur in Alpibus et Pireneis; " Quis tumidum guttur miratur in Alpi- ,, bus ,,? scripsit jam Poeta Juvenalis.

Causae propemodum infinitae incusatae sunt hujusce morbi productionis. Inter praecipuas numerandae sunt conatus, saltus, cantus. Sunt qui quum observassent apud mulieres frequentiorem esse quam apud homines, colli nuditatem accusarunt. Foderé opinatur humiditatem calori conjunctam illum producere valere, quod tamen experientia mentitur. Aquarum in quibus selenites commiscetur usus, et torrentium uti causa fuit recognitus, et Lalonette aquas ex nive solutas praecipue notavit, quae omnia contra Foderé scripsit. Negare autem aut fulcire alterutram sententiam nullius adhuc est, quum quae argumenta aliquibus in locis regerent, ab aliis prosternantur et quum adhuc glandulae officium inter mysteria latitet, ejusque structura exacte minime cognoscatur. Ut tamen majori medicorum numero videtur, quum compertum sit, et per hereditatem hanc affectionem acquiri, quaedam praedispositio

necessaria evadit in individuo, quam a lymphatica constitutione praeberi arbitratur.

Glandula tyroidea spongiosam offert texturam, fere cavernosam, in quam multa vasa ingrediuntur, et ab ipsa discedunt, vario modo serpunt, discurrunt, inque surculos tenuissimos dispertiuntur. Hac de re faciliter congeries gigni potest, et humoris lymphatici exsudatio effici, qui viscidus plus minusve eo magis a mora redditur, et tenax, quique difficulter circulat, qua propter glandula tumet, et textus vascularis quaqua versus extensus irritatur, et lenta phlogosis exoritur, quae propriis productis serbatur, et quandoquidem augetur, ut quum de exitu hujus affectionis sermo erit videbitur.

Tironcosis diagnosis facili negotio eruitur praesertim si Ricther definitioni respectu habeatur, quo cum dignoscitur a tumore molli, spongioso, elastico, et aequali, basi lata praedito, anticas colli partes occupanti, doloris experti, et faciliter digiti pressioni cedenti. Sedes sua certe in tireoidea sita est, difficilisque diagnosis aliquantulum erit, si in duas discriminatus partes tumor extet, media parte non affecta. Sin vero pars media afficiatur eo melius morbus declarabitur. Confundi potest cum vera Bronchocele, quae quandoquidem a Muys et Mauget fuit observata, a qua tamen distinguenda tironcosis erit, majori tumore, elasticitate, et inferiori positione. Bell animadvertit quandoquidem cellulosum textum circumambientem lympha injectum in-

tumescere, et hunc morbum fingere. Addendae sunt intumescentiae gangliorum lymphaticorum cervicalium, carotidis aneurysma, gangliorum sub malis existentium, et emphysema colli. Ast horum morborum symptomata propria, causae, et decursus, si attente a Medico librentur nusquam cum Tironcosi confundentur.

Quoad prognosim patet, illam pendere, a causa, a constitutione plus minusve incitabili affecti individui, a momentis quibus premitur, a symptomatibus exhibitis, et a morbi ipsius natura, quum plerumque ad indurationis exitum vergat.

Varii habentur decursus, utpoteque potius a multimodis circumstantiis quam a morbi indole dependent. Stationarius fit, et voluminis mediocris et tunc praeter deformitatem, et aliquam molestiam nihil morbosi secumfert. Praecipitem habet decursum, quum a causa violenta gignatur, et inflammationis gravi processu incendenti comitetur. Generatim loquendo, a lenta phlogosi struitur, quae novae formationis producta struit, et tristes sequelas molitur. Nunc totam glandulam adoritur, nunc alterutrum latus vexatur. Magis in pueris lethales fines edit, quam apud adultos.

Discrimen quoque sistunt variae a quibus Tironcosis materiae efformatur. Nunc enim tactui offertur mollis consistentiae, et voluminis mediocris, dum alioquin marmoreus fere sentiatur. Aequalem nunc superficiem demonstrat, nunc veluti variis tumoribus efformatam. Substantiae contentae nunc

calcareae sunt, nunc hydatides, nunc tumores sunt varii, variae quoque naturae, puta Meliceriles, Ateromata, Steatomata, Lipomata, Scyrros et caetera. Celeberrimus Hallerus mulierem cognovit ab aquis in suffocationem impulsam, in qua strumosam glandulam reperiit, mollem, carneam, molli pinguedine oppletam media in parte callosam, et aliquam concretionem petrosam ostendentem. Alio in casu invenit lobum alterum glandulae morbosum, dum naturali statu alter fruebatur. Tertio in casu glandulam multis hydatibus refertam detexit, in quibus solutam videbatur, quarumque quaedam durissima membrana volvebantur, et arenae aliquid continebant.

Mobilis tumor aliquoties est, immobilis alias et partibus subjectis adhaerens. Moles parva quandoque, alias circumstantes partes comprimit, torquet, et adamussim Hallerus scriptum tradidit. " *Com-*
„ *pressis venis jugularibus sensim soporem fer-*
„ *reum viro erudito incubuisse, qui in fune-*
„ *stam apoplexiam transiit,* " et alibi „ *arteriam*
„ *asperam ita compressam, ut aer vix duci posset,*
„ *quae forte inter mortis causas in vetula fuit* „.

Visum etiam fuit a sanguine tantum efformari per vasa disrupta effluxo, et ratum fuit a quibusdam a glandulae emphysemate constitui; nihil tamen ad huc in medio latum fuit, quo hoc factum possit demonstrari.

Pathologica anatomes Tironcosim haud semper ejusdem causae effectum esse patefacit. Morbo re-

centi, materiae viscidae, gelatinosae effusionem invenit, dum si inveterasceret indurationes, substantiae naturae oppositae, scyrrhi, carcinomata, productiones ossae, petrosae, sacci sanguinei humoris, et hoc genus alias inveniuntur.

Istius affectionis exitus diversi cognoscuntur. Ut plurimum indurationis est, et tum ammissa forma tantum quosdam inducit ut medicae artis subsidia efflagitent. Aliquoties phlogoseos flagrat incendium, et in suppurationem erumpit. Aliquoties in carcinomata abeunt, in scyrrhos, et caetera.

Cura denique est consideranda. Quum medicina Tironcosis sit facienda, regionem ab individuo inhabitatam primo respicere est, ex eo quia si epidemice morbus grassetur, per utile evadet abigi ipsa, et procul commorari. Nemini dubium esse debet, quod tali pacto, momenta illa omnia fuget, quae nisi producere, minime infraenare, quin immo morbum alere potiserant. Epidemicus occurit dumtaxat causae aeadem plurimos in incolas loci ejusdem impetum faciant. Insuper Foderé sequens sententiam, viarum digerentium vitia erunt auferenda, et cuncta illa quae cutis et renum functiones praepedire possent, fugari. Quamvis causae e quibus morbus hic movetur, fere prorsus ignorentur, nihilominus Medicus introspiciens omnia, quae aegrotantem circumstant adtrutinam revocabit, ut si qua inest ipsis ad curationem utilitas, eruatur. Quum evolvatur morbus in organismo leucophlegmatico, in motubus lento, circulationis tarditatem manife-

stanti, prius hirudinibus circa tumorem admotis sanguinis congeries tolli curabitur, postac cicutae cataplasma adplicandum, ut motus vasorum sollicitetur, dum sensibilitas textuum imminuitur; quapropter affluentis sanguinis irritatio redditur innocua. Quod si nullum ab isthae methodo levamen obtineatur, ad aliorum remediorum usum erit confugiendum.

Ab Arnaldi de Villanova temporibus spongia marina calcinata basim obtulit pharmacorum omnium quae aliquam actionem in Tironcosis cura exeruerunt. Ipsa plerumque conjungebatur tonicis medicaminibus, ut molestiam quam stomacho cum ingeratur excitat, destruerent. Voto nihilominus raro haec praescripta respondent, quum stomachi spasmata expergiscantur, tali diuturnitate persistentia et intensitate ut remedium respuere medicus cogatur, si etiam chronicum morbum difficilis curationis non inducat. Insuper longa et fastidii cura est, quae omnia Jodii usu vitantur. Sicuti vero agitur de heroico pharmaco, uti recte Coindet exprimitur, a Medici periti prudentia moderari administratio debet, ut terribiles quos Orfila describit effectus vitentur. Et primum caute praeparata sunt seligenda prout variam possident vim, varia juxta elementa quibus conficiuntur, quae varietates in Hydrargiri, Auri, Argenti, Antimonii praeparatis etiam experiuntur. Ad libitum igitur nusquam praescribetur sed ratiocinatione et criterio ducibus. Nemo non videt digerentis apparatus status examinandus tum phi-

siologicas secundum leges, tum doctrinas juxta pathologicas. Coindet ipse observavit in Tironcosis curatione alterum altero majorem actionem praeparato variis in individuis movere.

Tironcosis cum in senibus evolvatur, dummodo sani sint, facilioris evadit jodio curationis. Ad hoc Coindet vetulae historiam tradit annorum quinque supra sexaginta quae Tironcosis enormis causa doloribus capitis continuo torquebatur, et ad soporem proclivitate insectabatur, brachii dexteri torporem perferendo, quem propter obiecta per chirothecam tangere censebat, quae omnia phaenomena increscente tumore augebantur, et duobus mensibus Jodium suppeditatum omnia prorsus sustulit, profligavit.

Jodii actio in hac medela palam fit diametri verticalis tumoris imminutione, ita ut videtur a superiori parte et inferiori in se contrahi, et e mento amoveri ut ad sternum appropinquetur. Viginti aut vigintiquinque diebus elapsis, diametro qui horizzonti respondet, quoque cohibetur, et tunc in tumoris massa quae prius aequalis superficiei videbatur, plures lobi distinguuntur, qui magis semper sejuncti fiunt et distinti, quo major imminutio conspicitur. Quisque lobus deinc in plures subdividitur tactui magis quam visui patentes, quique tandem evanescunt contractam cystim quo quivis continebatur linquendo. In curationis fine quae perficitur ordinario sex aut octo hebdomadis labantibus, tumoris loco non inveniuntur, quin immo digito

percipiuntur lentiformes congestiones tantae, quot centra uniuscujusque lobi morbosi adaucti glandulae tireoideae in Tironcosim conversae numerabantur. Hac sub forma morbus levi de causa inflammatione incenditur et jodii ipsius praescriptione, ut Coindet ipse ajendo animadvertit: *Tum quando autem inflammationis phaenomena*, Tironcoses, *praeseferunt, tunc a linimento abstinendum, et loco dolenti admovendae sunt hirudines, et cataplasmata emollientia ex pane et lacte confecta, ut, cessata inflammatione iterum admoveatur linimentum, donec tumor penitus resolvatur.*

Externa Jodii administratio frictionum ope certe aptissima methodus est, quum topica actio ejus desideretur. Sin vero per organismum regulariter jodium diffundi cupitur, interna ejusdem praescriptio potius erit seligenda. Hisce in casibus cura erit praecipua minime illud uniri substantiis ex quibus praeparata extrudantur illis opposita quae praescribere in animo est, neque suppeditare, nisi e stomacho quae insunt ablata sint, neque actione ulla digerentes viae defatigatae noscantur. Qua de re successu, mane, jejuno stomacho porrigitur, duabus ante prandium et coenam horis. Quum vero ventriculi membrana mucosa jodii usu repetito irritetur, quandoque praescriptionem suspendere optimum erit, etiamsi jodisationis indicia haud quaquam habeantur. Diebus illis quibus consueti pharmaci injestio negatur, non raro levis magnesiae dosis indicatur ut gastro-entericae viae convenienter depu-

rentur, et eo magis ad jodii futuram impressionem disponantur.

Internae jodium adhibetur forma pillulari, aut alkoolica et aetherea, aut aliis junctum principiis, uti sunt acida, hydrojodata simplicia, jodura. Externe in pomatam conformatur aut frictionibus utitur joduri amyli forma. Ut aliqua norma talium praescriptionum habeatur, usitatiores proferam.

Tinctura Jodii.

℞. Alkool. ad 35.° unciam unam.
Jodii purissimi gr. quadragintaocto.
m. et serva in vase bene clauso.

Hoc praeparatum, quum in usum trahatur, esse debet, quippequia, paucis elapsis diebus, jodium cristallorum forma deponit, aut jodium hydrogeni alkool parte potitur, et acidum hydrojodicum, joduratum efformatur.

Dosis pro adultis est quinque, decem, quindecim et viginti guttarum tribus vicibus de die in unciis tribus aquae saccharo aut syrupo Capilli Veneris edulcuratae. Ut tali praescriptione Tironcosis curetur Coindet docet quindecim diebus, tribus vicibus de die decem guttas porrigere, et quindecim iterum diebus ad guttas quindecim ascendere.

Pillulae Jodii.

℞. Jodii purissimi granum unum.
Roob Sambuci, et
Pulveris Liqueritiae q. s. ut efformetur

massa pillularis ex qua formentur pillulae duae, S. capiat aeger unam mane, alteram vespere.

Unguentum Jodii.

R. Jodii purissimi drachmam semis
Axungiae suillae unciam unam semis
m. et l. a. fiat unguentum.

Postremis hisce temporibus quibus substantia quaelibet ad utilitatem avocatur et Bromum recenter nactum a Doctore Barthez in humano organismo periclitatum aliqua fuit utilitate. Analogo Bromum cum Jodio modo agere expertus est, et hac ex parte inter irritantia venena est collocandum.

Pourché tumores glandulares duobus in individuis resolvit frictiones instituendo pomata ex hydrobromate potassae confecta, et cataplasmatibus aquosa bromi solutione conspersis. Tertio in casu otorrhoeam vicit, una simul et congestione textium scrophulosa externo horum remediorum usui et Bromi internum addendo. Tironcosis abnormis eadem methodo ad tertiam voluminis partem redacta fuit et fere admodum Bromii porrectione evanuit. Interne sumitur aquosa Bromii solutio aut Hydrobromas in substantia. Prima obtinetur Bromii partem in quadraginta acquae distillatae solvendo et administratur ad quinque et sex guttas in aqua pura dilutas pro dosi quae gradatim augetur. Hydrobromas potassae eodem quo potasse hydrojodas habetur pro-

cessu atque a Pourché pillularum formula praescribitur ad quatuor et octo granorum dosim de die. Diuturnior de hoc remedio praxis dum et eo melius actionem suam patefaciet, utilitates forsam majores deteget; quapropter magis extendatur usus desideratur, ut quos effectus ab aliquibus obtentos testantur, observatio et experientia pro humanitatis subsidio confirment.

Jodii autem usus, ut supra dictum est, et hinc Bromii dicendum, phlogoseos processum inducere potis est, ut et alia multa locum adfectum irritantia. Moles ipsa Tironcosis per se inflammationem incendit variique tunc hujusce conditionis effectus veniunt medendi. Omnibus notum censeo antiphlogisticam methodum, tali in casu adhibendam, et manus eo magis lata erit, quo magis symptomata et momenta caetera urgeant. Si tumor ex sanguinis effusione efformatus sit, et individuus adsit temperamenti sanguinei, firmae corporis constitutionis, si recens morbus insurrexerit, et febrili reactione comitetur, venae sectiones generales et locales, potiones acidae, nitratae, purgantia et diaetetica ad opus bene conficiendum erunt indicata. Sin e contra a lympha constituatur, gracilisque aegrotans sit, neque causa vim pergrandem exererit, antiphlogistica methodus infraenabitur, non vero vitabitur.

Irritis tamen votis auxilia cuncta moventur, et ad exitum inflammatio pergit suppurationis. Hoc patet ex dolore plus minus intenso, pyrexia et praecipiti phlogosis decursu, qui cum exitum perfecerit

symptomata omnia compescere et componere videtur. Tumor autem mollis adparebit, fluctuans, circumscriptus aliis a collectionibus in collo efformatis facile distinguendus. Tunc temporis Medici est chirurgiae opem exposcere ut tumor aperiatur et puris collectio abigatur. Post hoc saepenumero vulnus difficultate aliqua medetur; quandoque etiam fistula aperta manet a qua guttatim pus efformatum effluit. Verduini observationem habemus qui mulierem invisit Tironcosim magnam praeseferentem, qua respirationis functiones impediebantur. Nullo ferme juvamine resolventia remedia adhibita fuerunt; mollis tumor factus est et fluctuationem ostendebat. Suffocationis in dies crescens periculum adferrum confugere cohibuit. Variis post hac remediis vulnus claudere tentatum fuit, sed frustra. *Interea temporis,* Auctor ait, *diu post aperturam factam, rarum et notatu dignum phaenomenon superveniebat; singulis videlicet mensibus, sanguis menstruus non per ordinarias et consuetas vias, sed per hoc bronchocelis foramen, immo per oculos et per aures, sicut ipse saepius vidi, effluebat. Interea tumor palliative curabatur sic, ut patiens per aliquot adhuc annos spiritum mox aliquo modo liberius; mox iterum impedite magis duxerit, donec alio quodam morbo extincta fuit.*

Hic curationis finis, nos haud dubie monet, vividiorem in methodum antiphlogisticam Medicum incumbere debere, ut inflammationis tam infaustus exitus praepediatur. Quod si minime vitare hunc

exitum Medici sit, et tunc Heisteri praxim saequi melius judico, qui tumore per longitudinem adaperto, escaroticis tolli curavit, ut evenit.

Majoris evadit utilitatis escaroticorum usus et irritantium in Tironcosi ab hydatidibus efformata aut ut ejus induratio et fungositas auferatur. Quadri hanc methodum expertus est neque inaniter. Medicus autem attento animo observare debet pathologicam organi conditionem, quum mentem aufugere facile sit status ille levis irritationis, qui stimulo admoto phlogosis ignem succendere uno temporis ictu valet. Quum tamen indicentur, sanioris Chirurgiae praecepta religiose erunt prosequenda, ut quam possibile est, votis opus respondeat.

Actualis caustici usus a Practicis abolendus censetur, quamvis auctoritate sane verendi Celsi fulciatur.

Tumoris extirpatio proposita fuit, quae respuenda omnino est, quum vix esset admittenda si de tumore parvo ageretur, et symptomatibus phlogoseos, minime comitato. Etsi hujusmodi facti exempla nonnulla a Theden, Vogel, Freytag, Gooch, Desault, Foderé enarrentur, nihilosecius semper alta mente Halleri dictum erit retinendum, qui suis in observationibus scripsit: *In tanta mole vasorum quae cum ipsa glandula crescit, in tanta vicinia jugularis venae internae, et arteriae carotidis, in tanta frequentia communicantium arteriarum tyroidearum superiorum et inferiorum, amputatio inter probabiles operationes sit, ego quidem vehementer dubito.*

Quid igitur ex huc usque allatis erit concludendum? Organi structura ignota, ejus officium a natura adhuc denso tegitur velamento, quam in ipsum remedia exerant actionem nescimus, ejus affectiones notae, a qua vero causa remota moveantur, celatur: quid de proxima restat? Quum perpendantur morbi decursus et producta, nequeo quin dubitem de phlogoseos processu pertractari. Sin causae omnes in illud agentes sanguinis affluxum pariunt, prome certat Boerhavii jam notum adagium, *ubi stimulus, ibi fluxus*, ut ab effectu de causa judicare possim carcinomata, fungositates, et hujusce generis producta, certe vis vitalis incitamentum adauctum praedicant, ex quo vegetatio sollicitatur, dummodo lento gradu decurrat; praecipiti gressu puris, aut lymphae parit transudationem. Si istiusmodi effectus aliis in organismi partibus a phlogistico processu gnati noscuntur, testantur, cur tyroidea glandula eidem processui obnoxia negabitur?

THESES

I.

In internorum tumorum diagnosi, opinio magis quam ars judicat.

II.

Digitalis purpureae infusus sub collyrii forma, ad infringendam morbosam oculorum irritationem maxime conducit.

III.

In febris intermittentis curatione, quum morbus a repentina aestuantis corporis perfrigeratione sit productus, nisi hepatis et lienis congestio auferatur, cortex peruvianus nullum exhibet auxilium.